



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Donaria ex voto ad tumulu[m] adferuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

Reliquiarum eius exposcebant : alij pro exoratis beneficijs donaria ex voto adferebant, aut è Sacelli parietibus fuspendebant, aut imponebant sepulchro, nec rarò cereos honori illius accendebant. Neque ab exteris magis atque ab ipsis domesticis, diu noctuque obfessum est eius monumentum. Hoc ipso autem tempore quo hæc scribo, mirificè crevit cum Romæ in eum Religio, tum apud Transalpinos; partem præconio eorum qui hinc discessere, partem Reliquijs eius ad varia loca missis, imaginibusque eius sapius recufis, quæ in veneratione sunt. Iam verò latiffimè innocentia sanctitatisque eius fama per Europam, multiq̃ue conceptis ad eum perfugiunt votis.

Prætermitto hîc de industriâ prædictiones, quas de morte suâ edidit; vîsâ, in quibus post mortem non paucis vario locorum interuallo apparuit; miracula beneficiaque, quæ exequiarum eius die, ac postea, cum Romæ tum in alijs Italiae aliarumque Provinciarum urbibus à Deo præstita sunt, ostendendæ apud homines gloria, quâ inter Superos iam potitur : etiamsi fortè & numero & genere maiora ea sint, quàm aliquis opinetur. At quoniam eorum multa iuratis iam testimonijs confirmata sunt Romæ, iussu Gregorij XV. aliaque præterea diuersis